



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pavli Laymann è Societate I: Theologiae Moralis
Compendiv[m] absolutissimum et in quinq[ue] libros
partitum**

Laymann, Paul

Moguntiae

10. De prærogatiuis status religiosi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40716

alis observatio indirectè pertinet ad regulam, quãdo sine ea regula in suo vigore conseruari non potest, consequenter si Religiosus obligat implicite ad ea omnia, sine quibus religio conseruari nequit.

Prælati ordinum exemptorum quasi Episcopa-^{1 2} lem in suos regulares iurisdictionem obtinent: Quare sicut Episcopus regularibus sibi subditis leges ferre potest, quod Ecclesiasticam disciplinam spectant; Ita etiam Abbas exemptus non quidem strictiorem ordinem reddendo sed vtilia & necessaria solum: Imò Prælati non exempti per consuetudinem id possunt.

Si appareat regulæ ac disciplinæ temporis diuturnitate collapsæ reformationem necessarium medium fore ad ordinis conseruationem Prælatus cum Capitulo & S. Papa ad acceptandam reformationem omnes professos compellere potest.

NB. Prælati sicut Episcopus possunt ex potestate gubernatiua. V. C. præcipere ieiunium pridie festi Patroni.

C A P. X.

De Prærogatiuis Religiosi status.

PER vota religiosa (in gratiam constituti) omnium peccatorum remissionem consequimur: Ratio, quia qui partem bonorum propter Deum in elemosynam pauperum dat, vt Zachæus Luc. 17. pro peccatis satisfacit, iuxta Dan. 4 Peccata tua Eleemosynis redime, ergo qui omnia sua & seipsum diuinis obsequiis tradit, is plenè satisfacit. siquidè religionis assumptio oë genus satisfactionis superat. Cõsequimur autè plenius & perfectius remissionē, quam per plenariam indulgentiam; quia indulgentia cum sit condo-

condonatio quædam ex auctoritate Summi Pontificis causam concedendi iustam requirit. At verò ad remissionem peccatorum, iunctum cum professione religiosa aliud insuper non requiritur, quandoquidem ea remissio ex natura & præstantia ipsius operis per modum cuiusdam iustæ exsolutionis ex Christi meritis promanat.

- 2 Probabile est, etiam per reuocationem votorum hoc beneficium obtineri posse: Nam vota religionum ideo afferunt plenam remissionem peccatorum, quia continent perfectam hominis traditionem erga Deum, sed hæc traditio reiterari potest. Ergo etiam remissio peccatorum iteratò acquiri potest.
- 3 Per Religionis professionem omnia alia iuramenta & vota pia ipso iure expirant: Ratio, quia per obligationem professionis religiosæ omnes hominis facultates ac vires in perpetuum & irrevocabiliter Deo offeruntur: ideo eminenter in se continent omnes alias particulares obligationes ad eum modum sicuti si quispiam erga hominem adstrictus debitis, omnia bona sua illi offerat, se ipsum in perpetuum servum addicat.
- 4 Illegitimi etiam spurii si Religionem professi sunt, absque alia dispensatione Ordines suscipere possunt, sed ad Prælaturam & dignitates promovendi non debent.
- 5 Susceptio status religiosi maculas legales furti auferit, quo ad actus temporales, ita ut damnatus de crimine V. C. furti postea ad testimonium in iudicium & similes actus legitimos admitti possit. Soluitur etiam per professionem patria potestas, dimissus

his tamen è Societate redit ad patriam potestatem
nisi sit in sacris ordinibus.

Professio Religionis tollit ingratitude no- 6
tam, ob quam hæres necessarius alioquin exhæredi-
cari possit. Equum enim est, vt per conuersionem
ad religiosum institutum prioris delicti macula sal-
tem in ordine ad temporales actus & iura expur-
getur.

NB. Professio solemnè dirimit matrimonium
contractum, sed non consummatum: Professio ve-
rò simplicium solùm dirimit contrahendum.

C A P. XI.

Utrum Religiosus in iudicio stare possit.

Religiosus in iudicio nec vt actor, nec vt reus sta- 1
re potest, quia religiosus cum omne ius in mo-
nasterium transfulerit, ac veluti mortuus sit compa-
ratur seruo: seruus autem in iudicio nec agere, nec
conueniri possit. Excipe 1. Religiosum beneficia-
tum cum libera administratiõne V. C. parochum.
2. Si religiosus absens sit à Prælato V. C. in studiis vt
facile licentiam petere non possit, & de ea conce-
denda rationabilem præsumptionem habeat. 3. Si
religiosus obligationem contraxit ante ordinis in-
gressum: Sententiæ tamen executio fieri debet in
bonis monasterii quatenus ex monachi patrimonio
consecutum fuerat. 4. Si religiosus Abbatem ex
rationabili causa accusare velit. 5. Monachus ob
delictum conueniendus est, non monasterium, sicut
nec dominus ob Serui delictum.

Religiosus non potest esse procurator nec aduo- 2
catus in iudicio, nisi cum licentia Prælati, & utilita-
te Monasterii, Consilium, quid in quacunque cau-
sa se-